

198

196

202

192

207

187

247

147

297

097

Ende

Anfang

187

dam dicunt, Chironem primum medicum, alii Aesculapium ibi  
fuisse medicos, unde potus ille, quem Helena rapta sumsit, ut  
oblivisceretur suae calamitatis, fuit inventus in Aegypto, unde  
inquit Eusebius, usque ad nostra tempora solae Diospoliticae mu-  
lieres iram atque moestiam potionibus sedare resciunt.

Ibi nigromantia et aliae prohibitae artes originem sumserunt.  
Unde Jeronymus in vita Hilarionis refert, quod etiam tempore  
Christianorum fuit studium nigromanticum in Memphis, et ob-  
servationes dierum, unde dies Aegyptiaci dicuntur. Quo modo  
autem dies Aegyptiaci inveniri debeant in calendario, vide in  
Catholicon Aegyptus. Non autem solum philosophi infideles in  
Aegypto philosophati sunt, sed etiam fideles. Unde Eusebius de  
praepar. evangelica L. IX. C. 4. dicit, quod Abraham vixit cum  
sacerdotibus Aegypti in Heliopoli et docuit eos astrologiam. Sic  
et Moses invenit in Aegypto primo arma bellica et praefectos in  
Heliopoli praeposuit, unde Aegyptii eum Mercurium vocaverunt.

Antiqui Aegyptii potentia, sapientia et religione cuncta regna ab  
superabant. Unde legumlatores Graecorum et aliarum gentium ab  
Aegyptiis sumserunt regulas suarum legum, et cuncti philosophi  
in Aegypto scientiam hauserunt. Sic et mechanici ingeniosissimi  
ex Aegypto prodierunt; de quo lege in Diodori L. II. C. ult. et  
in Eusebio de praepar. evangel.

De eorum potentia dicit Augustinus de civitate Dei Lib. XVI.  
C. 17. quod olim Aegyptii totam Asiam, demta India, subjectam  
habebant tempore primae promissionis Abrahae, (¶) unde tantae  
potentiae fuerunt, ut Aegypti reges pro diis colerentur. Poten-  
tissimas autem civitates construxerunt. De sapientia dictum est,  
et de religione in idolis et templis et sacerdotibus parum retuli.

Aegyptus sicut olim sub idolis fuit sentina vitiorum, sic sub  
Christo facta fuit speculum omnium Christianorum, unde propter  
incredulitatem fuit plagis maximis adeo attrita et multipliciter per  
prophetas proclamata. Christo autem cum Maria Virgine ingresso in  
Aegyptum mox omnia corruerunt idola et templa et delubra, ut  
habetur supra fol. 81., demis tribus templis, quae intacta reman-  
serunt cum suis sacris; primum fuit templum virginis, secundum  
templum sanguinis, tertium templum ignis. In primo templo stetit  
imago virginis filium in brachio gestantis, quod veteres Aegyptii  
fecerant propter vaticinium Jeremiae prophetae, qui praedixerat

